

De
Q. Horatii Flacci,
poetae lyrici,
vita, ingenio et indole.

Ad natales

G E O R G I I
Principis Regentis M. Britanniae

in Lycei Verdensis auditorio

die . . . Apr. ab hora X. audita

oratiunculis celebrandos

Scholarchas reverendissimos

Collegas amicissimos

Omnesque literarum ac studiorum liberalium

Fautores benevolentissimos et doctissimos

ea qua par est observantia

invitat

Ernestus Ludovicus Cammann,
Rector.

STADAE, Typis Fride[rici] . . .
MDCCCXVIII.

BIBLIOTHECA
GYMNASII
VERDENSIS.

*Georgius J. G. . .
zu Willstete Mon. 1867*

Omnibus pæne Romanorum poetis, lyricis saltem satiricisque, antecellere Horatium, quisque, qui non iratis Musis natus est, intelligat sentiatque necesse est. Inest ei elegantissima simplicitas, sensuum tenerrimus affectus, robustus et masculus colorum vigor, copiosa phantasmatum ubertas, augustissima imaginum et picturarum dignitas, tractatio vere lyrica, docta et vivida, consummatissimus et exquisitissimus elocutionis ornatu. Horatius sane prae ceteris poetis summa in scholis diligentia et intento studio est legendus, ut mens pectusque juvenum sensu pulchri, boni et honesti imbuantur; incessus poeticus iis, linguae jam peritioribus, ad vivum resecandus; indoles ejus sicut in pictura vividissimis coloribus describenda et animus juvenilis prosae orationi assuetus ad spiritum, quo Noster inusitata penna evolvans in altos nubium tractus tendit, ad tollendus; quid? quod elegantissimae dictiones phrasaeque memoriae inculcandae, in succum et sanguinem sunt convertendae.

Quamvis tamen musae Venusinae carmina ob venustam simplicitatem, concinnam argumentorum pertractationem et ornatum elocutionem om-

nes capiant lectores, in dubium vocari nequit, ab iis, qui mellitissimas poetae nostri odas plenis labris haurire gestiant, subtiliorem requiri scientiam latini et graeci sermonis; Horatius enim difficilioribus adnumeratur poetis. Nec falsum hoc est iudicium. Adolescens vel optime instructus, linguae latinae haud ignarus et in legendo scriptore prosaico apprime exercitatus, in lectione huius poetae, etsi carmen simplex et clarum invenerit, subinde haesitabit; multiplices occurrent difficultates impediuntque, quo minus recte intelligat et rite interpretetur. Oratio vincta plurimum a pedestri discrepat. Qui itaque Horatium cum fructu legere cupit, poetarum calleat indolem et proprietates. Quamquam vero his haud parum sit imbutus, tamen plurimum in nostro aestuabit, qui singulares habet difficultates. Romanorum primus lyricam tractavit poesin; nam etsi Italia egregiis abundabat poetis, hoc poeseos genus jacebat incultum et intactum. Flaccus, cui benigna ingenii vena, novam sibi pandit viam, proprias adhibet figuras, insuetos rebus induit colores, saepe inusitata verborum utitur structura atque epithetum ex solenni poetarum more, tum ex suo ingenio addit.

Quae quum ita se habeant, apud animum constituimus, adolescentibus, nostrae disciplinae demandatis et ad altiorem aspirantibus eruditionem, aditum ad musae Venusinae fontem aperire, eosque omnibus, quae ad poetam intelligendum necessaria sunt, instruere, ut penitus cognoscant indolem ejus poeticam atque insolentem lyricam

rum loquendi morem addiscant. Egregii nostram tempestate commentarii in lucem prodire, qui meam fere curam supervacaneam redderent, si in omnium manibus versarentur. Permulti vero, qui literis student, nimis angusta re familiari laborantes, non tantos in studia sumtus facere possunt, ut subsidia optima notae sibi comparent.

Praemissis, quae ad vitam poetae nostri pertinent, excutiamus indolem poeticam; disquiramus, quod ejus sit ingenium, qui mores, quae sentiendi et cogitandi ratio; qualem de Diis habeat persuasionem, quorum praecipue philosophorum acquiescat placitis; quas amet imagines, quae dictiones sint usitatissimae, quid a Graecis, quorum ad exemplar se effinxit, depromserit; quae tandem involucra, ex more poetarum, ideis quoque colores induere soleat.

Quod consilium jamjam exsecuturus ante omnia, Vos, lectores cujuscunque ordinis, si ad alios praeter alumnos mea perveniat cura, intentis adeam precibus, ne gravemini, si in opusculo meo qualicunque res tritas et cuique eruditorum satis superque notas deprehenderetis. Alumnis nostris, quibus Horatius est intactus, suppeditare; quibus ad poetam legendum praepararentur et idonei redderentur, in animo erat. Quod si praestitero, oleum mihi et operam non plane perdidisse videbor; et forsam rugas eorum explicabo, qui altiora desiderantes et subtiliora libellum hunc, in tironum gratiam scriptum, morosa gravitatis fastidierint. His sufficiat, si ea, quae quondam in poetae nostri lectione desudantes ipsi observaverant et percepe-

rant, denuo tractata et exposita, — si flores dispersos in sertum collectos et in ordinem digestos, ita ut uno quasi obtutu omnia perlustrare et percurrere possint, invenerint.

Q. Horatius Flaccus natus est, ut Suetonius refert, patre libertino, cujus nomen ignoratur, Venusiae, haud ignobili Apuliae oppido, in confinio Appulorum et Lucanorum sito, a. U. c. 689. a. Chr. n. 65. Lucio Aurelio Cotta et Manlio Torquato Coss. Pater ejus, vir probus, eximiam indolem ingeniumque praeclarum filii, quem tenerrimo amoris affectu complectebatur, animadvertens, intentissimam impendit curam in eum educandum. Ut, quantum per exiguas facultates valeret, et ipse de filio, sapienter instructo, bene mereretur, primas partes in excolendo corde et infundendo recti, pulchri honestique sensu sibi injunxit. Morum castitatem, modestiam virtutisque amorem et praeceptis et exemplo ei commendavit. Mollissimo grati animi sensu paterna praedicatur cura Serm. 1, 6, 66.

Si neque avaritiam, nec sordes aut mala lustra Objiciet vere quisquam mihi; purus et insons (Ut me collaudem) si et vivo carus amicis: Causa fuit pater his etc.

Quum vero filii ad altiora tendentis ingenio atque indoli formandae se imparem sentiret pater, bonis divenditis Romam se contulit. Ibi ut vi-

tam sustentaret, munus hominis, pretia rerum publice venditarum exigentis, (auctonum coactoris) suscepit. Primam tamen curam in instituendo filio collocavit. Egregios adhibuit magistros, qui eum literis humanioribus imbuerent. Quos inter primo loco nominandus Orbilius Pupillus, qui tum temporis multa cum laude grammaticam profitebatur et adolescentem literarum anantissimum ad uberrimos poetarum graecorum fontes adduxit. Vicesimo vitae anno, eximia eruditione ornatus, altiorum, inprimis philosophiae, studiorum cupidus, celeberrimam musarum sedem omniumque artium inventrices, Athenas, visere, Horatius animum induxit. Conspicuos nobilitate et ingenio ibi invenit juvenes romanos; Messalam, Bibulum, Varum et alios, quibus arctissimo amicitiae vinculo connectebatur.

Interim Romae ultimum pro libertate conservanda certamen initur. Caesar dictatoris perpetui nomine summo rerum potitur orbemque terrarum regit. Brutus et Cassius, acerrimi libertatis vindices, dictatorem cruentis confodiunt pugionibus. Mox hi salutem fuga petere coguntur; Italia relicta, Athenas se conferunt ibique globum juvenum ingenuorum, libertatis amantium, socios sibi adsciscunt. Nec Horatius recusat partes eorum sequi sociaque arma conjungere; legioni tribunus praeficitur. Apud Philippos res ad summum discrimen perducitur; atrox committitur proelium a. V. c. 712. Viri generosissimi, libertatis ultima columna, cadunt; Brutus et Cassius, rebus desperatis, ad mortem compelluntur. Horatius, parmula

non bene relicta, ut ipse refert lib. II. Od. VII., omnium egenus, hostium ut evitet furorem, Pompeii partes, impunitate victis promulgata, relinquit et in Italiam remeat a. U. c. 713. — Anceps erat ejus conditio et tristissima, quum patre defuncto et bonis, quae hereditate acceperat, ereptis solus partium adversarum invidiae esset expositus. Ut patronos potentes et benignos sibi conciliaret, non, quod multi Nostro crimini vertunt, ut panem quaereret, versuum pangendorum primum fecit periculum. Flaccus, Graecorum poetarum familiaritate excultus, iis, qui pro aevi genio literas graecas in deliciis habebant, mire fuit acceptus.

Brevi tempore aditum in virorum illustrissimorum domos sibi patefecit et in intimam eorum se insinuavit familiaritatem. Absona vero et ab ingenio poetae nostri aliena opinio est eorum, qui, teste Suetonio, credunt, eum munus scribae quaestorii ambiisse. Vile lucrum et molesta muneris publici officia elato animo contemnunt, qui musis litant. Nec defuere Horatio amici et fautores affatim largientes, quibus indigeret. Quorum principem fuisse Virgilium plura carmina probant.

Pace a. V. c. 715. cum Sexto Pompeio composita, qui a Bruti partibus steterant proscriptis venia in patriam redeundi est concessa, qua praeter alios usus est Pompeius Grosphus, poetae nostro conjunctissimus. Non multo post Horatius, XXVII. annos natus, patrono potentissimo et magnificentissimo Maecenati, Equiti romano, qui genus a gente Cilnia seu Lucomonibus, antiquis Etruriae

regibus, deducebat, intentissime a Virgilio et Vario commendatus est; qui tamen de fide ejus addubitans, ut animi integritatem experiretur, novem demum mensibus post in intimam familiarium consuetudinem eum admisit et Octaviano de meliore nota commendavit. vid. Serm. 1. 6. Conditio ejus, eo usque tristissima, prosperrimam fortunae vicissitudinem experta est. Profugus ille omnibusque vitae miseris periculisque obnoxius insigni favore et exquisito honore mactatur. Maecenas, quem praesidium, dulce decus et rerum columen nuncupare poterat, praediolum in amoenissima Sabinorum valle situm, ei dat dono simulque Octaviani favorem et amicitiam comparat. Ex eo inde tempore poeta coepit rerum, Octaviano imperitante, gestarum memoriam carminibus celebrare.

Vinculum amicitiae, inter Antonium et Octavianum junctae, mox dissolvitur; maximo utrimque apparatu atrox denuo exardescit bellum. Horatius, cum Maecenate certamini interesse cupiens, a consilio capto facile se avocari patitur. Ultima de summa imperii pugna inicitur a. U. c. 723. et apud Actium classes congregiuntur. Antonius et Cleopatra magna clade accepta in Aegyptum se recipiunt, et de salute desperantes sibi ipsi mortem consciscunt.

Victoricibus armis multi populi, jugum romanum detrectantes, sub auspiciis Octaviani, qui nomine Principis contentus, ne Domini appellatione invidiam sibi conflaret, rem romanam administrat, debellantur. Bellum infertur Arabiae incolis, Britannis et intactis Cantabris. A. U. c. 730.

Augustus, quod nomen Senatus ei dederat auctore Munatio Planco, splendidissima triumphi pompa Urbem intrat.

Varii sequuntur Orientis motus. Parthorum vires interna seditione distrahuntur. Phraates, antiquissimorum Parthiae regum soboles, ob saevitiam subjectis intolerantior, regno exutus fugatur; sed copiis coactis mox revertitur et Tiridaten pellit. Is, qui jam in regnum bis erat restitutus, Romanorum implorat opem; et Phraates, rebus suis diffidens, supplices Romam mittit oratores, filium, quem Romanis obsidem tradiderat, et Tiridaten repetitum. Augustus precibus, ea conditione ut signa et captivos, Antonio Crassoque ducibus amissos, restituat, adnuit. Phraates postulata recusat, donec Augustus, Graeciam pervadens, Sami hie me transacta, in Asiam trajicit; tum sponte et signa et captivos offert.

Quo facto Augustus Orientis res componit et, Phraate ad majorum fastigium dato, Armeniae Tigranen praeficit. Quae omnia poeta tum summis effert laudibus et poeticis coloribus nobilitat, tum in majus auget.

Pace per totum terrarum orbem recuperata et jugo infestissimis romani nominis hostibus imposito, Augustus ludos saeculares, per bella civilia omissos, summo splendore et eximia magnificentia instaurat. Horatio habetur is honor, ut carmen tanta solennitate dignum conficiat. Quomodo huic negotio Noster satisfecerit, facile intelliget, qui legerit carmen elaboratissimum, musae Venusinae monumentum aere peremius.

Nihilo tamen minus in Occidente bellum recrudescit. Augustus privignos suos, Drusum Tiberiumque, mittit debellatum Rhaetos Vindelicosque, nationes Germaniae feroces et bellicosas. Illi rebellantes magna clade afficiunt; quas res a fortissimis juvenibus gestas poeta, spiritu epico plenus, Od. IV. 4. celebrat.

Interea Imperator ipse ultimos regni immensi terminos denuo adit, ut seditiones comprimat et nationum vi armorum domitarum res ordinet, stabiliat et confirmet. Maximo ornatus honore Romam revertitur et ultra humanam fere conditionem, non virtute, ingenio et facultatibus, sed fortuna faultrice elatus aegre fert, quod Horatius nimis parcus in celebranda rerum gestarum laude et gloria fuerit. Suetonius certe mentionem facit epistolae Horatio assignatae, quae haec facit:

Irasci me tibi scito, quod non in plerisque ejusmodi scriptis tecum potissimum loquaris. An vereris, ne apud posteros tibi infame sit, quod videaris familiaris nobis esse?

Quinquagesimo septimo vitae anno Horatius mortalitatem explevit a. U. c. 746. Tam subita morte abreptus est, ut tempus obsignandis testamenti tabellis non suffecerit. Eodem anno Maecenas decessit, idemque paene tumulus ambos, per vitam conjunctissimos, complexus est. Conditus sunt in extremis Esquilis.

Cui poetae nostri vitae res memoratu dignas, quas Augustus, quamdiu rebus romanis praerant,

gessit, intexuimus. Aliter fieri non poterat, quod Horatii Musa in iis celebrandis praecipue sibi placet; ita ut rerum illa tempestate gestarum ignarum saepe consilium poetae, sententiarum nexus et verus verborum sensus fugere debeat.

Praemissis, quae ex illorum temporum historia repetenda sunt, transeamus ad Flacci ingenium et cogitandi rationem. Quum nulla scriptorum veterum testimonia supersint, vitam et mores Horatii satis illustrantia, de poeta ex scriptis ipsius iudicium feramus necesse est. Ne tamen inutiliter haec disputasse videamur, antea, quantum fieri potest, brevissime absolvamus quaestionem, num omnino et quatenus ex scriptis auctoris ingenium, intimum pectoris sensum et mores ipsos perspicere liceat.

Ingenium, vitam et mores hominum non exacte scriptis ipsorum et verbis consentanea esse, nemo in dubium vocabit. Hominis enim voluntas non semper respondet pulchri rectique sensui, iudicio atque intelligentiae, sed se ipse saepenumero accusare cogitur et vituperare. Ne aliorum ob turpitudinem morum sibi contrahat contemptum, sanctitatis et integritatis assumit speciem. Quam multi scriptores et oratores, etsi vitam parum honestam degant, tamen speciem morum sanctissimorum prae se ferunt, et virtutes factis non expressas verbis acerrime et intentissime commendant! Quidni is, qui rectum cognoscit cuique tam iudicium est subactum, sagax et acutum, quam facultas eleganter dicendi et scribendi, verbis profiteatur, quae re vera non possidet? quidni laudet et

commendet virtutes, quas ipse non exeroet? Facile qui docent et instruunt, nec non poetae, qui poesin didacticam tractant, fraudem facere et se dissimulare possunt; animo minus commoto praecpta meditata tradunt. Discrimen tamen intercedit certe inter poetam didacticum et lyricum. Hic, animum commotum vividumque sensuum affectum exprimens, spiritu poetico abripitur, ita ut interni pectoris quasi recludat recessus. In errores nihilominus induci possumus; caveamus ergo, ne verborum lenocinia et elocutionis artificia pro vero habeamus sensu. Has artes et fraudem qui discernere et adimere valet; ita ut facum et colores poeticos abstergat, ex scriptis de auctore ejusque ingenio ac cogitandi ratione iudicium ferre potest.

Quibus praemissis Flacci nostri ingenium et sensus primis lineis adumbrandi periculum faciamus.

Haud defuere, qui Horatium acerbissimo vituperio castigarent. Sordidum appellant assentatorem, qui versutis et facetis blandimentis patronorum captet benevolentiam, qui, mores integros et castos parum aestimans, levissima quaeque, voluptatem effrenatam gaudiaque libidinosa probet et commendet. Ante omnia crimini ei vertunt, quod Augusto, contra quem arma infesta tulerit, affectatissima observantia et intimo amore adhaeserit quodque eum insernerit Deorum immortalium numero. Pestilens acerbitalis virus evomunt in virum, qui ipse libidinibus inserviens effrenatae indulgeat licentiae, qui salaci pruritu percitus lubenter obscoena meditetur et tractet, qui tandem, pudicitiae leges saepe migrans, libidinis et putidis dictionibus

scateat. Maculas multi his criminibus inurere tentarunt; loca et phrases, quae ad sententiam probandam imprimis valent, ad partes vocarunt, nec frustra adnisi sunt; nam Nostri carminibus insunt omnino, quae acre castitatis examen tolerare non possint. An vero crimina ista dilui et animi candor morumque integritas ejus vindicari possit, non levis momenti quaestio est. Poetam enim, quem de vitae turpitudine et animi pravitate accusamus, quemque non ita exusare licet, ut vitia ob humanae naturae imbecillitatem condonemus, non possumus quin despiciamus, etsi carmina ejus sint consummatissima.

Nonnulli, ut paullo ante dictum est, Horatium acriter perstrinxerunt, quod Augustum, adversus quem Bruto duce pugnaverit, tanta adulatione assentatus eumque divino honore prosecutus sit. Quibus argumentis haec nota poetae nostro inusta deleri possit, ne pigeat disquisivisse.

Bentleius, vir *κριτικωτατος*, optime de edendo Horatio meritus, qui nonnunquam ob nimiam sagacitatem nodos quaesivit in scirpo, carmina ejus secundum vitae annos digessit. Qui tamen ordo si pro vero est habendus, luculentissime probat, Horatium non humili assentandi studio praeconia cumulasse, sed eo demum tempore gloriae Principis inservisse, quum jam satis apparuisset, Augustum columen firmissimum esse collabentibus Romanorum rebus. Nonne Horatius, qui libertatis amore inflammatus Bruti partes secutus erat, post longam prosperrimorum annorum seriem sibi

persuadere poterat, novam rerum formam, ab Augusto institutam, esse saluberrimam? Homo ne praesentia quidem satis perspicere potest, nedum futura, quae caligine spissa premuntur. Sapientis est, rerum eventui sese accommodare, neque in consiliis exsequendis pervicaciter animum obdurare, sed rebus potius prospere cedentibus acquiescere. Esto itaque Horatium inter libertatis vindices infesta arma contra Octavianum tulisse; quid obstat quo minus Augustum, rem romanam sapienter regentem, summa observantia coleret et benevolo amore amplecteretur? Tantum vero abest ut credamus, intimam familiaritatem inter Augustum et poetam nostrum intercessisse, ut potius suspicari liceat, Horatium, benevolentia et honoribus a Principe collatis parum captum, summa animi constantia libertatis amantissimum fuisse. Rebus patriae afflictis medelam afferre, morum corruptelam sanare, mores priscos et sanctam antiquitatis simplicitatem restituere, pro virium tenuitate intentissime adnitebatur. Commotioris animi ardens studium in reipublicae incolumitate et salute sublevanda ostendit lib. III. carm. 5., quum sensisset id agi, ut captivi a Parthis retenti in patriam reciperentur. Summa sententiarum gravitate et vigenti elocutionis *εναγγεια* Regulum loquentem inducit, cujus exemplo Romanis turpe consilium dissuadeat. Idem poeta spectat lib. III. od. 2. qua severiorem duriolemque juventutis institutionem commendat. Educationem esse perversam et ex hoc fonte uberrimo perniciosissimam corruptelae pestem fluere, satis intelligebat.

Quam Augustus salutis publicae intentissima cura provideret, dissidiisque compositis pacem et otium civitati, bellis civilibus misere maceratae, restitueret, quam artes literaeque novo splendore efflorescerent, quam denique arma victricia ad ultimos orbis terrarum terminos proferrentur; quidni hujus prosperitatis auctorem merita laude ornaret? Ex Augusti epistola, cujus supra mentionem fecimus, patet, quam parca Principi sparserit tura.

Ne quis vero arbitretur, Horatium in colendo Imperatore modum nimis excessisse, si eum quietis Deorum ordinibus adscribit, praemoneamus, cultus divini rationem, cui prisci populi acquiescebant, plurimum discrepasse a nostra. Nimiae et vilissimae nostra tempestate esset adulationis, quin malignae cavillationis, Principem mortalem et fortunae vicissitudini obnoxium cum numine omnipotente et perfectissimo comparare. Ne igitur immemores simus eorum, quae Graeci, quae Romani de natura Deorum et de heroibus inter Deos relatis, seu de apotheosi, statuerint et judicaverint. Sunt, qui contendunt, Jovem ipsum, Junonem ceterosque Deos Graecorum olim meros homines fuisse ob merita generi humano collata divino cultu post mortem affectos. Tenebras quidem nimis spissas frustra discutere tentabimus; dubio autem caret, Minoa, Herculem, Castorem, Pollucem, Romulum aliosque post vitam demum in his terris peractam nectaris succos duxisse. Eandem honorem poeta Principi, quem Fortuna arridens magna ad fastigia rerum extollebat, im-

perit.

perit. Ne tamen Augustus hoc honore superbi-
ret, modestiam et temperantiam simul suadere
solebat. Jupiter, ut ipse dicit, pater Deorum et
hominum, ad coeli gubernacula sedet, ille in terris
post eum primum obtinet locum. Simili modo
docet:

Dis quod te minorem geris, imperas.

Adempto poetico involucre et absterso fuce, non
est quod offendamur in praeconio divini honoris
et cultus.

Quibus omnibus pro aevi genio rerumque con-
ditione perpensis, poeta noster, ut videtur, a cri-
mine sordidae et vilis adulationis absolvi potest.
Laudabat Principem fortuna faultrice ad summum
humanae conditionis fastigium elatum; laudare opti-
mo jure poterat Principem *Patris patriae*
nomen merentem. Laudabat secundum notiones
et rationem aetatis suae; laudare tandem debebat
virum, cujus favorem et gratiam sibi facillime
praeconio conciliare poterat. Arma contra Octa-
vianum quondam tulerat, profugus et in Italiam
reversus benigna ingenii vena se in Maecenatis
amicitiam insinuerat. Augustus eum quoque ad-
miserat, suspecta tamen fide. Horatium non fu-
giebat, se virorum illustrium patrocinio eximium
assequi posse fastigium; ingeniumque Principis
bene noverat. Maculas Augusti moribus adper-
sas hoc loco silentio praetereamus; id tantum no-
tasse sufficiat, blandimenti lenocinium Augusto in-
primis arsisse.

B

Altera restat criminatio, qua Flaccum perstringunt. Dicunt nempe, eum summa animi levitate pravis libidinibus indulsisse et Epicuri placitis consensisse, ut humanae sortis vices placida aequitate atque incuria tolerare videretur et effrenatae licentiae inservire posset. Contendunt illum in amore potissimum turpi describendo et tractando sibi placere et tam spurcis saepe uti obscœnitibus, ut lector rubore suffundatur. Vituperatio hæc non prorsus injusta est; non desunt enim loca putida et lubrica, quae offendunt delicatum nostrae aetatis sensum Musamque Venusinam inquinant. Excusabimus tamen Nostrum ad laute vivendum passim adhortantem, si reputaverimus, quidnam consilii poetae in carminibus pangendis fuerit. Non rigor Catonis ei erat, non austerum philosophi supercilium. Alacri pollebat vigore, vividae hilaritati indulgebat; rerum naturam suavissimis coloribus sibi pingebat. Tali indole, tali ingenio praeditus saepenumero amicos et sodales adhortatur, ut genium curent et vitam, quae brevissima sit, quantum fieri possit, jucundissime transigant. Sed ut recte intelligamus poetam, caveamus, ne nimis urgeamus verba et fiduculis adhibitis eorum sententiam extorqueamus. In pertractatione simplicissimarum rerum notionumque poetae hyperbolis utuntur. Exemplo est lib. I. od. 3. Quis sibi in animum inducat, poetam navigationis utilitatem prorsus ignorare et contemnere? Ludit omnino, et jocari eum decet. Iniquae sane esset severitatis, sensum verborum, quae poeta ad lectoris animum exhilarandum protulit, ad veritatis

amussim exigere et gravi acrimonia taxare. Alius poeta, alius philosophus.

Attamen negari non potest, poetam interdum, praecipue in Sermōnibus, lascivire et, exuto pudore, obscœnis putidisque dictionibus uti. Ab eum parte eum haud facile purgabimus. Sunt tamen varia argumenta, quae veniam ei impetrent. Primo loco cavendum, ne de populorum antiquorum moribus secundum genium nostri aevi iudicium feramus. Rectissime Cornelius Nepos in praefatione monuit, *non eadem omnibus esse honesta et turpia, sed omnia majorum institutis esse judicanda*. Morum doctrina apud Romanos manca et imperfecta; gentilesque, christianorum revelatione haud illuminati, perversis obnoxii erant erroribus. Poeta non solam amorem libertinarum et togatarum probat ac laudat, sed etiam passim mentionem facit amoris pulchrorum puerorum, cui Romani Graecorum more et exemplo indulgebant. Eiusmodi vero adolescentum (*παῖδων*) usus nec illicitus nec turpis habebatur, ipsique viri, auctoritate conspicui, non celabant amorem puerorum eximia corporis forma insignium. Huc accedit jocosum poetae nostri ingenium, lusum facietiarumque amantissimum, et prona ad laetitiam natura hominis, quem non fugiebat, joco hilari et lepido frontem patronorum rugis contractam explicari posse. Praeterea praeae aetatis homines non, ut recentiores, verborum involucris et decoris lenociniis utebantur, quibus res obscœnas et spurcas obtegerent; secundum

naturam potius viventes proprio res naturales nomine nuncupabant. Praecipue autem satirici poetae vitia morumque corruptelam acri severitate castigantes, ut turpitudinem et perniciem inde manantem clarius ob oculos ponerent et detestabilem redderent, depravationis fontem vividis coloribus depingere et apertis verbis foedissimam pestilentiam describere solebant. Hinc Odae Horatii, de quibus hic inprimis sermo est, non eas, quas Sermones, redolent obscœnitates. In tanta carminum copia unum, quod libro quartoprehenditur, obliterandum; spurcius saltem est quam ut sine nausea possit legi; tam pudenda in eo protervia pudicitiae et decoris leges migravit poeta.

Quandoque bonus dormitat Homerus!

Quae in Flacco vituperatione digna videri possint, brevibus recensuisse sufficiat; quae vero immeritam forsitan ei excitare possint invidiam, missa faciamus. Perscrutemur potius, quae sit ejus praestantia, quae indoles, quod ingenium, et quo jare primum inter omnes Romanorum poetas locum sibi vindicet.

Sunt qui contendant, Horatium Epicuri dogmata adscivisse. Nonnullae quidem adhortationes ad laute hilariterque vivendum, quae carminibus passim insertae sunt, sicut nonnullae in Sermonibus disputationes, hanc opinionem confirmant. Tantum vero abest, ut poeta summum vitae bonum in voluptate posuerit, ut potius ipse claris saepissime verbis contrariam sententiam probet. Lusi- bus poeticis quando indulget, vitam hilarem vo-

luptatiq̄ue deditam commendat; sed non semper ludit; amat seria immiscere jocosis (v. Serm. I, I, 24 seq.) et in pertractandis rebus gravissimis immorari. Religionis christianae lumen nondum effulserat; densae tenebrae mortalium mentibus erant offusae. Ne igitur quaeramus in Horatio scientiam, quam sibi nulla ratione comparare poterat. Nihilo minus occurrunt in ejus carminibus multa sapienter et egregie dicta. Sensu intimo adhaerescebat pio Deorum cultui; hos rerum humanarum putabat rectores esse; homines ad eos colendos honorandosque intentissime adhortabatur. Refragari omnino huic pietatis et reverentiae erga Deos sensui videtur Od. I, 34. ubi ipse proficitur, se nec Deorum templa frequentasse, nec sacrificia et dona largiter obtulisse, et post longam demum dementiam prodigioso eventu monitque Jovis, coelo sereno tonantis, percussum intellexisse insulsum errorem, ideoque nunc vela retro dare sibi persuasum habere, Deos prospicere rebus romanis easque summa sapientia regere.

Poeta in hujus carminis exordio claris verbis prodere videtur animum impium, Deorum cultus incuriosum, quem miraculum tantummodo ita ferire et commovere poterat, ut nuntium mitteret Epicureorum placitis atque Omnipotentis providentiam, quae hominum res curat, incorrupta fide amplecteretur. Parum haec congruunt iis, quae aliis locis, et ardenti studio, quo ea disputare solet. Ut nodum solvamus, conjecturae locus detur.

Quid enim obstat, quo minus exquisitum forsitan pertractationis artificium in hoc carmine rep-

riamus? Nonne suspicari licet, poetam ingressum esse hanc viam, ut homines impios, Deorum cultum spernentes, quales aetas illa plurimos tulerat, ad saniolem reduceret vitae rationem, huiusque cultus honorem promoveret? Hominis natura ita certe comparata est, ut sanctos omnibusque numeris absolutos, qui acerbe vituperant et acriter perstringunt aliorum perversitatem, invidia petant, nec placidi aures praeceptis eorum praebeant. Omnes autem, qui alios miti indulgentia et placida clementia corrigunt nec suos tegunt errores, sibi facilius audientiam faciunt, et sic ad commovendos sane emendandosque animos plurimum valent. Hoc itaque Nostri statuamus poetae consilium fuisse in carmine componendo. Quam manca enim et imperfecta patris fuisset educatio, quae a filio summis laudibus celebratur, si nullam sensus religiosi instillandi curam habuisset! Quodsi re vera Deorum providentiam secundum disciplinam Epicureorum sustulisset poeta, vix credendum est, eum, tonitru coelo sereno audito, ita fuisse commotum, concussum et conversum, ut ardenti studio et pietate cultus divini praecepta, quocumque posset modo, popularibus inculcaret.

Neque tamen est quod conjecturis indulgeamus, quum luce clarius appareat, poetam nostrum aetate provectiore variis renuntiasset opinionibus, quas ea ineunte imbiberit. Singulare exemplum reperitur Serm. I, 3. Poeta salse deridet Stoicos contententes, Sapientem regem, divitem, bonum sutorem et formosum esse. Sed Od. IV, 9. ipse hoc eorum placitum probat. Lollii virtutem cele-

brans dicit: *Consul non unius es anni,* ob honestatem et justitiam perpetuum geris consulatum. Stoici enim soli sapienti vindicabant regnum.

Licet ergo poeta adolescens Deorum providentiam, secundum Epicuri disciplinam, sustulisse videri potest, postea tamen saniolem admisit doctrinam. Idem sensus plus aliis iisque permultis locis probari potest. Sic poeta Od. II, 15. summa indignatione luxum et prodigentiam in exstruendis molibus aedificiisque magnificis castigat et prisci aevi frugalitatem, in primis cultum divinum solertem et solemnem majorum, qui maximos in templa adornanda sumtus fecissent, commendat; nam leges jubebant

Deorum

Templa novo decorare saxo.

Od. II, 17. Maecenatem, animae suae dimidium, qui anxie pallidam mortem extimescebat, quum gravibus vexaretur morbis, ad novas spes erigere conatur ob fatorum similitudinem. *Una moriemur, nam tuae mortis dies utramque ducet ruinam. Bono sis animo, pericula maxima superabimus.* Sed restituta valetudine, mox addit, ne inmemor sis Deorum:

Reddere victimas

Aedemque votivam memento!

In Oda II. libri III, ob lyricam tractationem insigni, in qua poeta virtutes laudat, pueris solerti cura infingendas, sub finem populares ad fidem

servandam adhortatur, quum Dii dura poena scelestos afficiant:

Saepe Diespiter

Neglectus incesto addidit integrum;
manet nempe probos ac honestos praemium et laus, scelestum certa poena; mortalis Nemesin persequentem effugere non potest:

Raro antecedentem scelestum

Deseruit pede Poena claudo.

Lib. III. Carm. IV. Horatius Augusti laudes celebraturus, quantum Musarum favori debeat, quanta beneficia illis accepta referenda sint, vivido phantasmatis vigore, exemplis ex antiquis Graecorum fabulis petitis, ostendit. Conferendum Pindari carmen I, in honorem victorum Pythiorum compositum. Apponamus versus nonnullos, qui huc praesertim faciunt:

Όσσα δὲ μὴ πεφίληκε

Zeus, ἀτύχοντα βοῶν

Πιερίδων αἰόντα

Γᾶν τε καὶ πόντον κατ' ἀραιμάκετον.

Musae hominibus sapientiam, temperantiam et prudentiam largiuntur, eosque humaniores reddunt. Vires sine consilio adhibitae praecipites dantur et plus nocent quam prosunt:

Dii odere vires

Omne nefas animo moventes.

Ejusdem libri carm. VI. magna facundia et insigni studio allaborat, ut morum corruptelae me-

deatur contagionemque pestilentissimam opprimat et extirpet; simul ostendit, gravissimas clades civitati inflictas a neglecto Deorum cultu repetendas esse. Dii rerum humanarum sunt rectores, quorum si favorem tibi conciliaveris, non est quod atris curis vexeris, nam bene cupiunt cultoribus suis; summa religione caeremonias divinas cures necesse est:

Delicta majorum immeritus lues,

Romane, donec templa refeceris

Aedesque labentes Deorum etc.

Non semper Horatius se accommodat notionibus et superstitioni, quibus addicti homines prisci et rudes Deos colebant. Nonnunquam colendi modum congruentem numini perfectissimo et disciplinae christianae mire conspirantem praescribit. Dii non sacrificiorum magnificentia et sumtu, sed pietate et scelerum immunitate coluntur:

Immunis aram si tetigit manus,

Non sumtuosa blandior hostia

Mollivit aversos Penates

Farre pio et saliente mica.

Loca laudata sufficiant ad probandum sensum religiosum, qui pectus poetae nostri penetrabat. Laude nobis dignissimus videbitur, quamquam haud infitiabimur, eum ob omni macula purgari non posse. Nil refert. Quis enim adeat fontem Venusinum, ut inde religionis praecepta hauriat? Majoris eum aestimabis, si reputaveris, qua prudentia, moderatione et sapientia summa vitae bona

æstimare, tum praeceptorum admonitione, tum sua ipsius experientia didicerit. Avaritia et improbus habendi amor hominum felicitatem turbat et evertit; nihilominus omnes ad altiora tendunt, in opibus cumulandis aetatem et vires consumunt; nunquam paratis fruuntur. Felicissimos itaque praedicat eos, qui vitam naturae legibus accommodantes, paucis contenti vivunt, qui, mediocritatem diligentes, honores et splendorem externum parum curant, — ne multa, qui bona caduca et fluxa parvi pendunt. Elegantissimo elocutionis ornatu, eximio phantasmatum picturarumque vigore et mira idearum ubertate vitam tranquillam et otiosam, rusticorum occupationibus deditam, describit. Ipse quum facillime patronorum favore altius fastigium attingere potuisset, in praediolo Sabino jucundissimo fruebatur otio, ita ut viris spectatissimis honores et divitias nequaquam invideret. En porro quam vividis coloribus vitae humanae brevitate, communem omnibus moriendi necessitatem, rerum jocosarum tractationi permiscuerit ac quasi pertexerit, ita ut vitam moderatam et sapientiae legibus attemperatam vix aptius commendare potuisset. Apponamus quaedam loca praeceteris digna, quae memoriae infigantur. Od. I, 24. Poeta consolaturus Virgilium, qui praematuram Quinctili mortem lugebat, miro artificio coepta peragit. In exordio amici dolorem suum facit; nam bene noverat, illum consolatoris partes sustinere non posse, qui lugentium doloris se expertem exhibeat. Recisa simul amici recuperandi spe in fine addit:

*Durum! sed levius fit patientia,
Quidquid corrigere est nefas.*

Libri II. carm. X. aureis sententiis abundat. Poeta Licinio Muraenae, viro turbulento, impotentis animi et res novas molienti, conaminum perversitatem ob oculos ponit, ad consilia saniora eum revocat simulque mediocritatis laudem adjungit:

Auream quisquis mediocritatem

Diligit, tutus caret obsoleti

Sordibus tecti, caret invidenda

Sobrius aula.

Alta conditio variis periculis obnoxia, lubrica et instabilis est:

Saevis ventis agitatur ingens

Pinus et celsae graviore casu

Decidunt turre; feriuntque summos

Fulgura montes.

Sapientis est, ad omnes fortunae vices animum praeparare:

Sperat infestis, metuit secundis

Alteram sortem bene praeparatum

Pectus.

Ne desperes; gaudia excipiunt curas:

Non, si male nunc, et olim

Sic erit.

Sapienter poeta libri II. Carm. XVI. praeccepta ad vitam beatam comparandam idonea suppedit. Omnes quidem felicitatem appetant, pauci adse-

quantur, quia bonis caducis et terrestribus inhi-
antes vires perperam consumunt, nec unquam
paratis fruuntur:

*Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum;
Nec leves somnos timor aut cupido
Sordidus aufert.*

*Laetus in praesens animus, quod ultra est,
Oderit curare.*

Nemini licet jugiter felici esse; dies jucundissimi
atris curis corrumpuntur,

Nihil est ab omni

Parte beatum.

Eadem praecepta vario modo tradit poeta, ne-
que possumus quin varietatem et elocutionis uber-
tatem admiremur. Libri II. carm. II. probat, sola
divitiarum possessione mortales neququam beari
posse. Pecunia loculis recondita nullius pretii
est; nullam enim praebet usum:

Nullus argento color est avaris

Abdito terris.

Externus splendor, honores, gazae et potentia ve-
ram felicitatem suppeditare non possunt; sapiens
solus vere beatus:

*Virtus — — regnum et diadema tutum
Defert uni, qui ingentes oculo irretorto
Spectat acervos.*

Eandem fere sententiam probat libro III. carm.
XXIV. Felices non sunt putandi, qui multa pos-

sident; nam moriendi necessitate nemo est ex-
emptus. Quid? quod curis et sollicitudine perpe-
tua divites cruciantur et consumuntur; beatus est
qui secundum naturam vivit. Dira auri fames
perniciosissima est; nam crescit amor numi, quan-
tum ipsa pecunia crescit:

*Improbae (multorum malorum fons)
Crescunt divitiae; tamen
Curtae nescio quid semper abest rei.*

Saepe poeta se felicem praedicat, quod paucis
contentus vivat, nec multa concupiscat. Salse
stultitiam dementiamque eorum perstringit et su-
gillat, qui divitiarum cupidissimi in cumulandis
opibus vires et aetatem consumunt. Hujus
αὐτάρχειας exemplum invenitur lib. II. Carm. XVIII.

Non ebur neque aureum

Mea renidet in domo lacunar.

At fides et ingenii

Benigna vena est — —

— — nihil supra

Deos lacesso.

Summa dignitate virtutis indolem et praestan-
tiam describit libri III. carm. II. Romanis pesti-
lentissima morum corruptela depravatis honesta-
tem et virtutem, quam fieri potest, intentissimo
studio commendat. Sibi enim persuasum habebat,
non aliam collabentibus rebus medelam afferri
posse. Horatius, quem non fugiebat, hominis na-
turam ita esse comparatam, ut virtutem non per-

se expetat, sed ob præmia et honorem, quae largiatur, philosophi Stoici personam induit et virtutis praestantiam vividis coloribus depingit:

Virtus repulsae nescia sordidae

Intaminatis fulget honoribus.

Virtus — — —

Coetus vulgares et udam

Spernit humum fugiente penna.

Pulcherrima sane laudis palma poetae nostro est deferenda propter virtutes dotesque poeticas, quibus pollet. Quae ut clarius perspiciantur, nonnulla, quae ad poesin ejusque tractationem lyricam pertinent, praemoneantur et altius repetantur.

Maximum discrimen inter poesin et orationem prosam intercodere, nemo ignorat. Poeta metro et rhythmici legibus accommodat verba et oratione vincata utitur, non pedestri, quae syllabarum quantitatem et numerum non curat ideoque nomen solutae jure sibi vindicat. Quicumque vero in animum sibi induxerit, orationem metri legibus attemperatam poseos nomine dignam esse, graviter errat. Poesis neuntquam continetur metro, quod tantummodo ad formam spectat; nam rhythmus certam temporis consecutionem et successionem ejusque leges docet. Hujus leges non solum verbis et cantu designari, sed omnibus motibus ad temporis consecutionem dimensis exprimi possunt, v. c. manuum pedumque ictu. Rhythmici ars liberalibus, ut vocant, quarum multa existant genera, adnumeranda. Artes vero, quae

id tantum spectant, ut sensum pulchri afficiant et delectent, pulchrarum seu liberalium gerunt nomen, ut musica, sculptura, ars pingendi, saltandi aliaeque, inter quas poesis primum obtinet locum. Poeta, et ideas et verba pulchri legibus exacte accommodans, alium sibi proponit finem, quam scriptor prosaicus. Qui oratione pedestri utitur, vel legentium animum emendare, vel ingenium acuere, vel notiones obscuras et confusas explicare et dilucidare, vel sensus permovere, vel tandem rerum gestarum memoriam repetens lectorem ad honesta inflammare, a pravis revocare cupit. Etsi diligentem curam in verborum structuram collocet, ut oratio nitida, tersa et elegans evadat, tamen cavet, ne involucria, verborum lenocinia et imaginum audacia, quae formam tantummodo spectant, consilio proposito fraudem ferant. Ne multa, quemadmodum poeta pulchri sensui inprimis satisfacere affectat, ita scriptor prosaicus, sive narret sive disputet sive doceat, perspicuitatis praecipue studiosus, ingenium et judicii acumen excolere et exercere, voluntatem ad honesta quaeque dirigere studet, quod ut eo certius efficiat, simul ea, quae ad permovendos sensus in primis valent, ad partes vocare solet. Quum itaque finis, ad quem uterque tendunt, diversus sit, facile intelligitur, suam quemque sequi viam, ut scopum propositum, quantum fieri possit, certissime et brevissime attingant. Oratio rhythmici legibus attemperata poetae, soluta prosaico scriptori aptior est.

Quemadmodum autem poesis duplici respectu

a prosa differt, ita secundum materiarum, quas tractat, diversitatem in tria dispescitur genera. Fieri potest, ut poeta in se quasi recedat et spiritu poetico elatus animi sui affectus sensuumque vigorem vividis depingat coloribus; ut ergo de se loquatur et ea, quae ipse sentit atque percipit, exprimere et proferre contendat. Tum fieri potest, ut poeta, sui quasi oblitus, externis rebus animum adiciat, et aliorum personam induens, quae fecerint, desideraverint et cogitaverint, repraesentet atque enarret. Aliud denique superest poeseos genus, quod in iis poetis reperimus, qui vera, honesta et laudabilia commendant laudibusque efferrunt, ut tali ratione in aliis boni et honesti studium excitent. Inde gignuntur tria poeseos genera, lyricum, ut vocant, historicum et didacticum.

In adumbranda vero et excutienda poeseos lyricae indole parumper subsistamus; nam Horatius permulta hujus generis carmina composuit.

Poesis lyrica a lyra, instrumento musico, cujus ad numeros vates carmina modulabantur, denominata, a Graecis mira simplicitate, elegantia et arte non multo post Homeri aetatem tractabatur. Nonnulla poetarum graecorum monumenta etiam nunc reliqua sunt et poeticae indolis auctorum optima suppetunt documenta. In vulgus nota sunt nomina Alcaei, Sapphus, Archilochi, Simonidis, Pindari aliorumque. Carmina eorum, pro argumentorum diversitate (nam e variis vitae quotidianae conditionibus materiam versibus pangendis petunt) vario metro decurrunt. Omnium fere usitatissimum est metrum choriambicum. Pindarus, subli-

sublimiore spiritu assurgens, certi metri legibus se nimis coercitum et circumscriptum sentiens, libero prorsus metro devolvitur. Haud minimae difficultates ex nimia metrorum licentia oriantur necesse est. Horatius primus viam a Graecis patefactam, Romanis adhuc intactam, ingressus est; cujus conaminis non sine multa sui laude mentionem facit. Tam praeclaro studio et tam prospero successu exemplaria Graecorum imitatus est, ut jure dubites, discipulus an magister sit major. Celare nec voluit nec potuit, se Graecorum esse aemulatorem; et qui celare potuisset, quum illa tempestate nemo nisi a Graecis magistris rite studiis humanioribus imbui posset. Quid? quod Horatius, altioris doctrinae appetens, Athenas, artium liberalium humanitatisque studiorum celeberrimam sedem, se contulerat. Claris refert verbis, qua ratione de Romanorum poesim eritus sit, et his:

Barbite Lesbio primum modulate civi;

quae sublimior est dictio, quasi lyra, ad quam carmina modulabatur, poetae ea inspiret et animum ad cantandum incitet. Praeterea satis superque ex ipsa carminum indole, ex idearum dispositione, ex incessus conversione et variis ornatus coloribus patet, Flaccum nostrum non suo omnia debere ingenio eumque multos flores e Graecorum hortulis carpisse. Argumenta a poetis graecis tractata, quod docent fragmenta Alcaei et Sapphus aliorumque, denuo tractavit. Nec vero aliena ad partes vocavit, ut imitando Graecos suis carminibus pretium augetet et magistrorum nomine quodammodo nobilitaret, sed aemulatur et certat potius cura

Graecis ac magistris palmam praeripere studet. Non imitatur Graecos, sed argumenta ab iis deprompta summa arte variat; lineamenta et colores Romanorum iis iniicit. Nihilominus laudabili modestia fatetur, Pindarum tanta gloria omnes poetas et Graecos et Romanos superasse, ut perniciosae foret temeritatis, ad altum ejus volatum adspirare. Icarum utitur exemplo, ut spes vanas et temerarias succidat. Od. IV, 2.

*Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalaeva
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.*

Multa tamen extant carmina, quorum argumenta ad Graecorum exemplar tractata et elaborata videntur. Vide sis libri I. Carm. IX. quod lyrica tractatione et idearum dispositione graecam prodit originem. Simili modo oda proxima ad normam hymnorum graecorum confecta et graecis coloribus imbuta est. De qua hymnorum antiquorum indole pauca adiacere lubet.

Hymni, omnium poeticarum compositionum antiquissimae, ad honorem Deorum celebrandum eorumque gratiam ac favorem comparandum diebus solennibus recitabantur. Poetae prisci, ob mancam rerum divinarum notitiam, primis hymni versibus praeclaram originis divinae vetustatem praedicabant, postea attributa et proprietates largis praeconiis ornabant, ne omisso quodam epitheto numen divinum offenderent. Dedita opera Horatius hunc morem sequitur in carmine laudato. Atlan-

tis, Majae patris, nepotem Mercurium appellat; tum varia munera et officia, quae hominibus praestet, laudat. Tu es Deus facundiae, λόγιος, nuntius Deorum, θεῶν κήρυξ καὶ ἄγγελος, parens lyrae, antistes et patronus furum fraudisque inventor, αἰμυλόμητις, tu defunctorum animas ad inferos deducis, πομπαῖος. In primis Graecorum imitatio patet ex libri I. carm. XII. cujus exordium ad Pindari verba accommodat:

*Quem virum aut heroa lyra vel acri
Tibia sumis celebrare, Clio?
Quem Deum?*

Pindari Olymp. Carm. II.

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,
Τίνα θεῶν, τίν' ἥρωα
Τίνα δ' ἄνδρα κελαδῆσομεν.

In illo carmine Augustum eodem elogio prosequitur, quo Pindarus Theronem. Sic et colores graecos reperimus Od. I, 15. Lydiam, puellam dilectam, ad amorem pellicere studens, aemuli Telephi rusticos rudesque mores acerbè perstringit. Aegerrime fert, suavissima basia impetuoso Telephi amplexu laedi ac turpari — basia, quibus nil dulcius; nam Venus ea quinta nectaris sui parte imbuit, i. e. dulcissima reddidit. Venus nempe, secundum notiones Graecorum, homines omnibus donis, quae pulchritudinem, gratiam, elegantiam et amores largiuntur, exornat. Hinc Graeci osculum ἡδὺ νέκταρ nuncupant. Verba quinta parte

hoc loco non urgenda; quamlibet partem poeta vult designare.

Verisimile quoque est, argumentum Carm. XVIII. libri I. ex Alcaei poematis desumptum esse. Figurae ac dictiones referunt graeci carminis vestigia.

Haud pauca in libris sequentibus supersunt exempla, quae huc inprimis faciunt. Sufficiant tamen, quae supra laudavimus.

Poeta vero non solum ideas ex Graecis depromsit; verba quoque secundum graecam structuram sunt composita. Saepe ille cum adjectivis infinitivum pro gerundio conjungit. Sexcenta occurrunt exempla, v. c. Lib. I. carm. X. *callidus condere*, proprie callidus ad condendum. Lib. I. carm. XII. *sumis celebrare* et *blandum ducere*. Lib. IV. carm. II. *niveus* seu *lubricus adspici*, ex mero pleonasmo, Graecis usitatissimo. Lib. I. carm. XXIV. *lenis recludere*. Lib. I. carm. XXXV. *praesens tollere*. Lib. III. carm. II. *catus joculari* cet.

Quae Graecorum imitatio perspicuitati officere non potest. Magna vero difficultas oritur ex propria poeseos lyricae indole, quam Horatius ad magistrorum exemplar expressit. Poeta lyricus vivido animi commoti et concitati aufertur impetu, spiritu vere poetico evolans humilia aspernatur; orationis incessus plurimum discrepat a prosaica sententiarum dispositione. Sublimi idearum incessu progrediens vulgarem sententiarum nexum negligit et abstractum, ut vocant, concreti ponit loco. Quae vero in conjungendis ideis et sen-

tentiis nimia licentia sensum saepe reddit obscurum et reconditum. Mire ea torsit et vexavit Horatii interpretes, hujus poeseos lyricae indolis ignaros. Anxie disquisiverunt nexum, ac meris saepe nugis indulgentes et stolide hallucinantes intente ingenii acumen exercuerunt, ut sagacitatis ederent specimina.

Multa sermonis abrupti exempla in Horatii Odis exstant; reperias ferme in omnibus, v. c. Lib. III. carm. I. In exordii versibus poeta, rem gravissimam tractaturus, audientiam sibi facere cupit; adhibet formulam in sacris solemem. Tum expositurus, alios aliis potentia, divitiis et honoribus antecellere, sententias communes ad partes vocat.

Regum timendorum imperium est in proprios greges. — — *Omne capax urna movet nomen.* Proprie dicendum erat, etsi reges insigni polleant potentia, tamen mortem effugere non possunt. Proximis quoque versibus sententias non solitis copulis connectit, demonstraturus, tantum abesse, ut illi, fortunis et honore mactati, morte eximantur, ut ne beati quidem habendi sint. Ille enim vere beatus judicandus est, qui modicis facultatibus, quantae ad vitam sustentandam sufficiunt, contentus vivit.

Idem elatioris animi incessus deprehenditur in libri III. carm. II. Vivido phantasmate juvenem romanum in terra barbara proeliantem adumbrat, ut duram disciplinam bellicamque virtutem praecleara extollat laude. Versu nono sententiam communcem commendat: *Dulce et decorum est*

pro patriâ mori. Accuratus arctusque sententiarum nexus hæc postulasset: Fortem te exhibeas, nam ignavus gloria caret, nec tamen morti se subtrahere potest. Copiosa vero in eum redundat gloria, qui patriam strenue et fortiter defendendo animam efflat. Non minus laxum nexus vinculum paulo post reperitur. Poeta, virtutem bellicam primo loco juvenibus commendans, alias simul, quae praecipue Romanum deceant, enumerat. Personam philosophi induit, ut verbis suis majus addat pondus.

Virtus intaminatis fulget honoribus, negata tentat ire via; viro probo et honesto solidus perpetuusque est honor et dignitas; probus constantia et animo generoso perpetrat, ad quae vulgus virtutis expers animum vix adtollere potest. *Virtus udam spernit humum fugiente penna;* coelestia petit, in purum evolat aethera. Sub finem hujus Odae commendat fidem in arcanis servandis, quae tum Romae cum aliis virtutibus spreta jacebat.

Carmen quartum ejusdem est generis. Poeta id agit, ut Augustum, qui se Musarum patronum et fautorem professus erat, debita laude prosequatur studiumque artium liberalium in illo acuat et inflammet. Musae hominem humaniorem reddunt, omnia pericula deliciis suis ingruentia arcent, sapientissima et saluberrima suppèunt consilia: quae sententia exemplo illustratur. Solenni ergo formula precandi Musarum implorat patrocinium, et entusiasmo poetico correptus pergit: *Audit is?*

Musae exaudiverunt me et afflatu divino impleverunt. Nexus sententiarum, qui in oratione pedestri inest, a poeta bis negligitur. —

Sufficiat, hanc poeseos lyricae indolem duobus vel tribus exemplis indigetasse. Absonum foret, ad unum omnia exigere, nec tamen operae pretium, diutius in enumerandis exemplis immorari, quum transitus insolens potius et abruptus tum ex totius carminis consilio et fine, tum ex idearum dispositione explicari et dilucidari debeat.

Lyricorum porro est, ea sententiose exprimere, quae referenda ad singula exempla et propriis verbis enuntianda; contra, addito epitheto, ea distinctius definire et circumscribere, quae generaliter sumenda et pro locis communibus habenda sunt. Epitheta non temere adiciant, sed ita eligunt, ut rem augeant et nobilitent. Eximium et optimum in suo genere quodque tali epitheto designant. Exempla quaelibet pagina suppeditat. Ita pro mari turbido et procelloso Horatius ponit *mare Hadriaticum*, quod in primis vexatur procellis; (nam *Auster dux inquieti turbidus Hadriae* et *Notus arbiter Hadriae* appellatur) pro ense *ensem Noricum*; pro jaculo *jacula Maura*, pro vadis periculosis *Syrtes aestuosas*, pro regione deserta et feris frequentata *Caucasum inhospitabilem*, pro lorica *loricam Iberam*, pro ebore *ebur Indicum*, pro campo nivali *campum nivalem Haemoniae* cetera. Simili modo, si de vino sermo est, cognomen,

a regione, qua nascitur, sumtum, apponere solet. Generosissimi Romani vini genera sunt *Faler- num, Caecubum, Calenum, Formianum et Massicum.*

Praeterea notanda est docta inversio in verborum constructione, in qua poeta sibi placet. Libri I. carm. XVII. dicit: *Faunus mutat Lucretilem Lycavo*, quum tamen sensus sit: Faunus relinquit Lycaeum et se confert ad Lucretilem, montem in Sabiniis. Dicendum erat: *Mutat Lycaeum Lucretili.* Eadem hujus vocis constructio reperitur Od. III, 1. *Cur valle permutem Sabina divitias operosiores*, cur antepoenam divitias, quae homines variis curis vexant, praediolo meo Sabino, cur villam amoenam permutem divitiis?

Restat, ut mentionem faciamus alius moris, qui poetis lyricis est solennis et lectorem facillime in errores ita inducere potest, ut haesitet nesciatque, qui finis, quod consilium poetae in componendo carmine fuerit. Horatius, qui Pindarum aemulatur, rem ipsam, quam canit, saepenumero paucis verbis et obiter tantum tangit. Qui legit Pindari hymnos, in honorem victorum confectos, non ignorat, poetam Thebanum saepe vagari per cumpum apertum, heroas suos relinquere fabularumque antiquarum narrationem intexere, quae a consilio proposito interdum aliena esse videatur. Hic sane poetae in carmine exornando liber incessus intricatissimas difficultates interpretibus creavit, multaque loca densa involvit caligine, quae tamen facili negotio discuti potest, ut probavit clarissimus Mit-

scherlichius. Cujus pertractationis insigne exemplum apud Horatium invenitur libri III. carm. XI. Poeta nempe puellam duram et austeram, quae amorem ipsius repudiat, ad se pellicere sibique proclivem reddere cupit. Invocat Mercurium et lyram, ut cantus et musices vim probent in expugnanda Lyde. Prosperrimum sperat eventum, quia lyrae insit irresistibilis vis, sicut priscae doceant fabulae; mox et ipse libere vagatur. Optime Danaidarum miseram sortem in suam rem convertit; depingit duram, qua affectae fuerint, poenam; praeclara laude tollit Hyperminestram, quae sponso pepercerit: integri et fidelis amoris exemplum filiae amatae ob oculos ponit. — En elegans artificium, quo animum asperum et obstinatum vincere tentat.

Eandem fere viam poeta ingressus est in Od. III, 25. Augustum larga prosequitur laude, bacchico furore se correptum fingit. Obstupefactus rerum celebrandarum mole et copia extra se rapitur et efferatissimo entusiasmo percitus proficitur, a se meditata et plenum pectus exprimi laud posse. Verba, ait, mihi denegantur, quibus aeternum Caesaris decus stellis et Jovis consilio inseram. Exquisitius et artificiosius praeconium fingi non potest.

Pari modo et vere lyrica pertractatione libri III. carm. XXVII. amicam Galateam, quae in eo erat, ut peregre proficisceretur, dehortatur a consilio perficiendo, dicens: non infausta quidem te retinent auspicia; nihilo tamen minus consilium acriter perpendas, ne postmodum te ejus poeniteat; nam etsi coelum nunc adblandiatur, brevi tempo-

ris spatio faciem mutare potest. Exemplum Europae ad partes vocat, et vividissima pictura tristissimam ejus conditionem depingit: cui descriptioni paullo longius immoratur. Gravissimam Europae poenitentiam adumbrat, quae profecto non poterat, quin Galataeae animum feriret et commoveret.

Quis vero non animadvertat, summam suavitatem, venustam elegantiam et dulcissima lenocinia tali modo carminibus fuisse addita. Tam multa insunt Flacco nostro, quae ei gloriam poetae consummatissimi, elegantissimi et suavissimi vindicant, ut Musis iratus natus sit, quem haec fugiunt. Quanta ei inest idearum ubertas! quae urbanitas et dexteritas in laudandis amicis atque fautoribus, (v. libri I. carm. VI. libri II. carm. XII. libri IV. carm. XV.) quantus porro elocutionis ornatus, quanta in tractatione ejusdem rei varietas! Quam multis carminibus vitae breviter, moriendi communem necessitatem inculcat! Novi et semper mutati ornatus venustate adtrahit lectorem; tantum abest, ut crebra repetitione fastidium creet, ut potius laudem et admirationem mereatur. Melle dulcius nonnulla sunt carmina, quae de amore agunt, e. g. libri III. carm. IX. Quae simplicitas! quae Veneres! quam grata idearum dispositio! quanta sensuum tenerrimorum ubertas! quam venustus mollium affectuum incessus!

Non semper ludit poeta noster; seria et sententias graves ipsis immiscet lusibus et facetiis. Mores amat integros, virtutem, pietatem, fidem; omnia denique, quae honesta, pulchra et decora sunt, intentissime commendat. Amoenis floribus

sertisque virtutis praecepta, per se severa et aspera, exornat et mitigat.

Quis dabitet, poetae Venusino principem locum inter omnes Latii poetas concedere? Licet carpatur invidia, huic locus non datur, ut ipse sentiebat; nam de se loquens dicit: *Dente invidiae minus mordeor invido*. Verissima sunt Od. III, 30. verba:

*Exegi monumentum aere perennius,
Regali situ pyramidum altius.*

Quae omnino arroganter dicta sunt. Sed ne nimis severe vanitatem, fastum et grande supercilium taxemus, vetat tum poetica hujus materiae tractatio, (nam poetarum verba non semper proprio sensu sumenda) tum humilis ejus conditio prospera fortunae vice mutata, tum mordax invidiae dens, qui vel meritam carpit laudem. Naturae humanae infirmitatem condones Flacco, nam *nemo sine vitis nascitur*, quod ipse Serm. I, 3. dicit; *Optimus ille, qui minimis urgetur*,

Non desunt etiam modestiae indicia. Saepe se heroum rebis gestis rite canendis imparem proficitur aptioremque lusibus amatoris et jocis facietis tractandis. Arrogantiae superbae speciem odit et deprecatur. Argumenta epica invitum se tractare affirmat Od. III, 3, 72. verentem ne *magna modis tenuet parvis*.

Moderate de meritis suis loquitur Od. IV, 2.

Ego apīs Matinae

More modoque,

Grata carpentis thyma per laborem

Plurimum, circa nemus uvidique

Tiburis ripas operosa parvus

Carmina fingo.

Praeclarum quoque modestiae specimen edidit libri IV. carm. III. Ad summum gloriae fastigium euectus non sibi vindicat hunc honorem, sed Musarum potius tribuit gratiae.

Totum (Pieri) muneris hoc tui est,

Quod monstror digito praetereuntium

Romanae fidicen lyrae;

Quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

Quamdiu humanitatis studia vigeant, Horatius in deliciis habebitur, laude recens crescit. Suaviter arrisere ei Musae nominisque famam reddidere aeternam. Apprime in eum quadrant verba libri IV. carm. VIII. in honorem C. Marcii Censorini dicta:

Dignum laude virum Musa vetat mori:

Coelo Musa beat.

Beavit vero !!!

Adolescentes nobis cari multis nominibus secundum ordinem, quo scripsimus nomina, in suggestum prodibunt:

I. *Georgius Guillelmus Goldmann* lingua vernacula demonstrabit, unde factum sit, ut Graeci tam altum perfectionis fastigium in artibus liberalibus ac pulchris attigerint.

II. *Johannes Fredericus Ziegler* lingua latina Solonem sapientissimum legum conditorem cum Lycurgo comparabit.

III. *Ernestus Mauritius Wyneken* de vera animi firmitate et constantia ore patrio disseret.

IV. *Georgius Fredericus Crudupp* germanice adumbrare studebit damnum, quo artis scribendi inventio genus humanum affecerit. (tirocinium satiricum.)

V. *Johannes Henricus Castendiek* Ciceronis vitam ejusque de eloquentia ac philosophia merita latine enarrabit.

VI. *Carolus Detlevius de Marschalk* lusus chartarum praestantiam et utilitatem praeconio hipponacteo extollet sermone atens latino.

VII. *Johannes Henricus Pratje Caroli Magni laudes* sermone vernaculo celebrabit.

Nonnullorum forsán intersit, de abitu alumnorum nostrorum aliisque rebus memoratu dignis, quae in schola hac eveniunt, certiores fieri. Quorum ut desiderio respondeamus, in clausula hujus opusculi quaedam apponemus.

De praeceptorum mutatione, quam Lyceum nostrum anno praeterlapso expertum est, non est quod mentionem faciamus, quum omnibus fere lectoribus nota sit. Tamen non possumus quin memoriam *Cunonis*, reverendi Arbergensium Pastoris, grata mente repetamus. Per duodecim annos Subrektoris vice in hac schola functus est. Eximia eruditione et aptissima docendi methodo instructus optime de discipulis sibi traditis meritus est.

Goebelius, qui octo fere annos Grammaticam professus est, in locum illius successit. Eodem ardore et studio, quo muneris partes suscepit, perseverat in officio implendo. Apprime volutatus in rebus ad disciplinam scholasticam pertinentibus provinciam demandatum porro cum fructu explebit. *Cottmeierus*, theologiae candidatus, gravi morbo detentus anno demum ineunte locum Grammatici vacantem occupare potuit. Insignis eruditionis eum praecessit fama, qua se dignum exhibebit.

Alumnorum nostrorum numerus discessu octo adolescentum academiam petentium anno praeterito deminutus est.

Guillelmus Ferdinandus Muenchmeier, Verdensis, biennium primi coetus fuit consors. Suavissimis ornatus moribus literisque humanioribus ita abiit, ut jure eum deliciis nostris adnumeremus.

Augustus Fredericus Henckel, Verdensis, totum cursum scholasticum in Lyceo nostro emensus, biennium primae classis institutione sedulo usus est. Bonam sui spem praebuit.

Guillelmus Carolus Walther, Vinsensis, octo fere annos Lyceum nostrum et duos primam classem frequentavit. Intento studio et labore non mediocrem sibi comparavit eruditionem.

Johannes Carolus Christianus Sesse, Seetzensis, duos annos primae classis alumnis interfuit. Haud leviter literis imbutus discessit.

Theodorus Henricus Sextro, Hunteburgensis, juvenis optimae indolis, annum et octo menses in hac schola commoratus est. Acuto ingenio, judicio subacto et literarum studio nulli fuit secundus.

Ernestus Henricus Wiedemann, Verdensis, ab ineunte aetate hujus disciplinae alumnus, bonis gaudet animi facultatibus. Libenter ei maturitatis testimonium impertimus.

Carolus Christianus Fredericus Lang,
Verdensis, annum et sex menses tantum primae
classis civibus fuit adscriptus. Eximia diligentia
in humanitatis studia incubuit; iudicium ejus acu-
tum et sagacitas solers laude digna sunt.

Simul altissimi Regiminis horum ducatum
benevolentiam et liberalitatem, qua bibliothecam
nuper conditam auxit et amplificavit, summo gau-
dio et gratissima mente praedicemus necesse est.
Ducentos denuo thaleros imperiales, ut vocant,
comparandis novis libris designavit. Fundamen-
tum est jactum; nec deerunt, ut certo sperare
licet, subsidia, quibus instructi aedificium super-
struamus.